



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 47 [i.e. 48]. Et calefaciebant se. v. 18.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

rum peccatorum, & hoc confidentius ago quia video quod nec S. Iohannes istud verbum audiens, illud nulla nota mala insigniuit.

§. 47. *Stabant autem servi & ministri ad prunas quia frigus erat. v. 18.*

Stabant quia serui erant, etiam mancipia isti ministri, quorum officium est stare ad seruitium Dominorum suorum, sed stabant sic, ut inter se sibi quoque starent, nempe ad commodum suum, ad prunas ut caleficerent, quia frigus erat, & quidem duplex frigus spirituale quidem in cordibus eorum stando contra ignem amoris Dei & iustitiae, adherentes iniquitati ad iniquitatem Principum suorum: Corporale autem frigus quia noctes & quinoctiales solent, ceteris non obstantibus, ut calido vento flante fit vel caelo pluente australi, esse satis acres & acutae & magis sentit quinoctialia frigora, quam brumalia ipsa siue solstitialia.

Deus meus utrumque frigus est valde noxium, sed magis spirituale, ex frigore tamen corporali disco aestimare spirituale; quia ego carnalis sum, non sapiens ea quae sunt spiritus, nisi per carnalia aenigmata, vel uti Philosophus ait per phantasmata. Multum tamen capio & sapio de spirituali frigore, cum illud speculor per phantasma frigoris corporalis. Avere igitur a me Domine malum illud frigus spirituale, uti soleo ego a me accere frigus corporale prunis, lignis, vestibus & hypocaustis.

§. 47. *Et calefaciebant se. v. 18.*

Externe quidem corpus, faciem, manus, pedes, fovebant, interne spiritum anima ipsorum manebat in frigore: erant apud ignem caelestem qui flagrabat & nullus eorum sese ei applicabat, nec ab eo calefieri optabat ardebat ipse ignis amore ipsorum, & consumebatur passionibus, & nullus accedebat, ut incalesceret spiritu, fide, compassione: Erat insuper lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum in mundo erat, & apud ipsos, & mundus eum non cognovit, sed neque Iudaeorum vel Principes vel subditi. Heu mundi caecitas! omnes in corporalibus malis arcendis & bonis corporeis quaerendis sumus providi, imo lyncei, sed quam in spiritualibus hebetes, obtusi & caeci.

O Deus calefiam obsecro semper ex tuo igne divino, ita ardeam in corde ex tuo igne interiori, ut non curem, aut multum sapiat mihi calor eternus, ita calebat S. Franciscus ille tuus nudus & pauper, ut tamen amplius suo frigentem ut focus luculentus animaret. O si & ego totus sic ex te conflagra.

flagrarem! quam beatum me dicerem? Domine qui potes omnia, da gratiam, ut toto semper corde ardeam tuo sancto amore & inardescam magis magisque indies ut totus ex eo consumar.

§. 49. *Erāt autem cum eis & Petrus stans. v. 18.*

Iam Petrus in aulam Pontificiam erat inductus ut deficiente Pontificatu veteris Test. esset ad manum capurus possessionem vacantis officij & honorum ei annexorū ac iurium. Sed iste novus aulicus in uno turpiter deliquit quod se non Dominis sed ministris aulae aggregavit ad prunas ubi solent sepius esse scurræ, nihil scientes de Deo nihil curantes de amore Dei, omnem suam felicitatem ponentes in carnalibus iocis, amore, & teram terrenarum affectu, & perversi, ita ut periculum sit ne Petrus ab eis pervertatur & frigidus fiat ut ipsi erant in amore Dei frigidi, imo ut penitus totus frige factus defecisset plane à Deo suo nisi eum postea benigne respexisset magister suus & ei animum reddidisset. Veruntamen in Annæ aula adhuc salvus evasit, quia nullam in ea negationem video nisi eam quam ostiariae dixit sat obscuram. *Non sum.* bene habet quod in ea non negavit quia discipulus bonus eum istuc introduxit.

Deus meus audivi à multis quod quando aliquis se non immisceat temere in negotia, sed quasi vocatur ad ea tractanda, quod tunc talē Deus maiore cura & providentia gubernet; & credo sane ita esse quia video Petrum Apostolum tuum in Annæ aula in quam introductus erat à discipulo suo noto Pontifici satis secunde agentem & vix negantem ea spe eie quæ necessario involvat peccatum.

Oro igitur te Domine, ut gratiam istam des hominibus ne se temere in negotia immergant antequam vocentur.

§. 50. *Et calefaciens. v. 18.*

Dum ad ignem exteriorē accedit Petrus cum ministris, sensim in eo ignis interior charitatis deferveat; nam ibi mendacia audiebantur, iniuriis alter alterum famulorum lacebatur. ibi periuria, cachinationes, lasciva verba super numerum, colloquia prava cum ancillis & quorum auditu depravabantur mores honesti Petri, ut sui oblivisceretur & Domini. quapropter S. Maximus dicit, peccatum Petri & Adæ similitudinem quandam habere: utrobique Diabolus & vir & mulier illa Adamo, hæc Petro mortis ianuiam aperiens utraque instrumentum Diaboli ad fortes columnas everte ndas: illa per petitionem iniquam; hæc per interrogationem sacrilegam.

Domini